

niam ergo infirmus in eo articulo maxime indiget robore et solatio, ea tunc illi exhibentur per extremam unctionem, in qua, ut S. Jacobus, c. ult. ait: *Alleviabit eum Dominus*, consolando videlicet et roborando contra horrorem mortis et dejectionem animi. Nemo itaque sit, qui hanc galeam ante ultimum illum conflictum non assumat, si robur illud et solatium desiderat in morte; nam tunc moriens relinquitur sibi ipsi: nemo eum juvare potest.

Cæterum ut hæc sacramenta salutaria fiant ægro, ne cogi velit ad suscipienda, sed ultro petat; neque etiam eo rem differat, cum jam in extremis et a sensibus alienus, adeoque ad fructum sacramenti percipiendum inhabilis.

IV. Provide tibi arma etiam offensiva ad pugnandum contra dæmonis insidias et tentationes, quæ in articulo mortis maximæ esse solent. Non potuit ita armatus esse contra Davidem Goliath, quin adhuc magis se armet contra moriturum diabolus: ille omnia ærea et maximi ponderis habuit, casidem, loriam, ocreas, clypeum, hastile; diabolus vero plurimas gravissimas ingerit tentationes, quibus quomodo sigillatim obviandum, alibi videbimus. Nunc Davidis arma nobis sufficiant. Is itaque tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, quos funda in hostem jaceret. Et quis putatis est iste baculus, nisi baculus crucis? Eum certe crucis figuram fuisse scribit S. August. serm. CXCXVII. de temp. Et hunc si quid aliud, summopere timet diabolus, uti canis nimirum baculum, quo semel est percussus: et propterea morientibus crux apponi et dari in manibus solet. Sed permultum refert, quomodo apprehendas crucem; id enim fieri per fiduciam in Christi passionem et merita debet: atque ut eam tunc habeamus, nunc dum sani sumus, nobis familiarem faciamus, et quodammodo semper in manu retineamus, quomodo David baculum suum pastoritium etiam ante pugnam semper in manibus gestabat: alioqui nisi crucem tractare sciamus dæmonem non terrebimus. Hinc fit, ut sæpe ægri crucem vix agnoscant (nedum in ea se consolari sciant) quia in vita non tractarunt. Deinde, ejaculare lapides orationum brevium et jaculatoriarum, cœlestium suspiriorum, invocationis sanctorum, cujusmodi sunt sacratissima illa nomina *Jesus et Maria*; oratio S. Fulgentii episcopi, qui in ægritudine sua frequenter dicebat: *Domine, da mihi hic patientiam; postea indulgentiam*, Baron. anno 329. illa S. Antonii archiepisc. Florentini in ægritudine orantis: *Oculi mei semper ad Dominum, quo-*

niam ipse evellet de laqueo pedes meos, ut in ejus vita, apud Sur. tom. II. et illa Davidis: *Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum, ut sciam, quid desit mihi*, ad salutis scilicet meæ negotium agendum. Maximopere vero cuivis commendata velim ea Salvatoris nostri verba, quæ ipse ultimo spiritu extrema et magna voce clamans protulit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. XXIII. His enim verbis docet in articulo mortis primo maximo nisu et fervore Deum exorandum et animam ei commendandam; quia ibi jacitur vitæ alea, et vertitur cardo totius salutis. Sic cyenus ante mortem omnes spiritus suos colligit in cor et in morte simul expirat, unde suavem cantum efficit. Secundo, non esse tunc sollicitum de corpore et terra, sed solum de anima et cælo. His adde actus fidei, spei, charitatis, contritionis, patientiæ, qui sunt quinque limpidissimi et aptissimi lapides ad debellandum dæmonem.

V. Adorna lectum tuum floribus virtutum, et para tibi in cælo nidum, bonis operibus ut cum sponsa dicere possis: *Lectulus noster floridus*. Phœnicem imitare, quæ, ut scribit S. Cyrill. catech. CLXXXVIII. S. Clemens papa, lib. XX. cap. IX. Tertull. de fide resur. c. XIII. et alii, quando præsentit imminere sibi mortem, conficit prius nidum ex fragrantibus lignis, in quorum medio se collocat, aspiciens rectissime solem cum maxime fervet, cujus calore dum alas suas ventilat, ignis accenditur, quo ipsa tota comburitur, et in cineres redigitur; ex quibus deinde vermis prodit qui in novam phœnicem convertitur. Apposita hæc resurrectionis justa figura est; quam si quis desiderat, cum phœnice moriturus congerat sibi odorifera virtutum et bonorum operum ligna, seque et sua omnia Deo in holocaustum offerat, bona temporalia per elemosynam vel renuntiationem et oblivionem; corpus per patientiam dolorum, animam per obedientiam et resignationem in manus Dei, dicendo cum Christo: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te*; atque inter hæc Deum perpetuo contempletur, et ad ejus solius gloriam attendat; nullam vanam intentionem admisceat; alas etiam piorum desideriorum quatit, et cum apostolo dissolvi, et esse cum Christo cupiat. Sic in ipso accenditur ignis divini amoris, et ex holocausto isto prodibit vermis animæ beatæ, quæ in resurrectione novissima iterum inducet pennas suas, et in novam phœnicem mutabitur. Prævidens hoc S. Job, c. XXIX. dixit: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*: alia versio habet: *Et sicut phœnix multiplicabo dies*. Cæterum noli tui nidi constructionem in horam mortis prorsus

rejecere, ne forte tempus extruendi non habeas, quemadmodum fatuæ illæ virgines non habuerunt spatium ad lampades suas oleo exornandas. Prudentes imitare, quæ in tempore surgentes ornaverunt lampades suas, et cum sponso intraverunt ad nuptias.

CONCIO VI.

AN ET QUA RATIONE MORTUI LUGENDI SUNT.

I. Lugendi sunt mortui: 1. Ut testemur nos esse homines. 2. Ut testemur amorem nostrum. 3. Ut ploremus damnum Ecclesiæ. 4. Ut desileamus peccata nostra. 5. Ut componamus nos ad pœnitentiam. — II. Non sunt lugendi mortui: 1. Quia mors a Deo est. 2. Quia mori necesse. 3. Quia mors charorum sæpe utilis. 4. Quia tristitia illa inutilis. 5. Quia mors Christianorum somnus. — III. Lugendi sunt moderate et christiane seu discrete: 1. Non more gentilium. 2. Non more Judæorum. 3. Non more crocodili. Non more puerorum, et non more feminarum.

THEMA.

Noli flere. Luc. VII.

Merito quis dubitare possit, quo animo mors charorum ferenda sit, æquone an iniquo, hilari an tristi. Pro utraque enim parte auctores sunt et argumenta, ut non fit obvium unicuique discernere quid sentiendum sit. Atque ut a gentilibus incipiamus, Solon mortem suam lugeri jussit: contra Ennius vetuit, vir uterque sapiens, Romam, cum luctu novendiali et præficarum planctu suos efferebant: alii uti Massilienses olim sine lamentatione suos sepeliebant: Troglodytæ mortuorum cervices pedibus alligabant, sicque cum risu et jocis eos efferebant, Ravis. textor. in officina de vario inhumandi ritu. Deinde, nostri legislatores non videntur hac in re omnino convenire, Ecclesiasticus enim ait, c. XXXVIII. *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare*. Vetat contra apostol. I. Thess. IV. dicens: *Non contristemini de dormientibus*. Quid multis? Ipse Dominus noster super mortuum ploravit Lazarum, Joan. XI. et tamen in hodierno evangelio patri filium plangenti ait: *Noli flere*. Quid igitur?

I. Dico lugendos esse mortuos, vel certe posse lugeri. Nam imprimis Joseph planxit patrem suum Jacob, Gen. L. Israelitæ Moysen, Deut. ult. et Josuen, c. ult. David Saullem et Jonatham, II. Reg. I. viri timorati S. Stephanum, Act. VIII. Martha et Magdalena, imo et Christus ipse Lazarum, Joan. XI. neque in hodierno evangelio improbat Dominus fletum viduæ, sed eam consolari

intendit, quod filium mox receptura sit. Lugendi autem sunt primo, ut testemur, esse nos homines utentes ratione, quæ sola apprehendit, quid sit mors: testemur, inquam, non esse nos insanos aut belluinos, quamquam et animalia quædam luctum edere videntur, cum a suis comparibus separantur. Etenim S. Basilius, in orat. de morte, quæ habetur inter opera S. Ephrem scribit: *Vidi ipsa aliquando bovem ad præsepe lacrymantem cum contubernalis ipsius morte ereptus esset*: et S. Ephrem, serm. in eos, qui in Christo obdormierunt, ait: « Lacrymas effundamus; quoniam et animalia super aliorum ejusdem secus generis separatione lacrymantur. Lugeamus quoniam et boves suos compares requirentes mugiunt, quoniam et hirundines abreptis sibi pullis clamitant, quoniam et agni nuper nati a fratribus separari vociferantur. » Sic ille.

Secundo, ut testemur amorem nostrum eumque sincerum erga defunctos. Sic ploravit Christus Lazarum amicum suum defunctum. Ideo Judæi dicebant: *Ecce quomodo amat eum?* Joan. XI. Unde qui penitus non dolent mortem amicorum, vulgo existimantur non amasse illos. Solent enim assentatores et ficti amici præ se ferre amorem erga viventes: quos tamen mortuos minime plangunt. Alii clam gaudent de morte propinquorum, vel quia ipsis defuncti inimici aut molesti erant in vita, vel quia hæreditatem aliquam sibi reliquerunt. Perversum foret istud gaudium. Unde Crassus Romanus exprobravit Domitio, quod sine luctu tres uxores sepelisset, apud Elian. l. VIII. hist. c. IV. Quare, ut testemur, non lætari nos de morte propinquorum ob has vel similes causas, recte et merito luctu publico testamur amorem nostrum. Ita magna sua laude flevit David multis lacrymis mortem Saulis domini sui licet sibi infensi ne quis existimaret eam sibi attulisse gaudium.

Tertio, ut deploremus damnum Ecclesiæ, cui fidus aliquis minister et operarius utileque membrum est subtractum. Sic Christiani plangunt mortem S. Stephani; S. Ambrosius mortem fratris, uti et S. Bernardus: sic Hebræi fleverunt Moysen, Josuen, Judam Macchabæum. Si enim resecato uno membro corporis dolent membra reliqua cur non idem facient membra Ecclesiæ?

Quarto, ut deploremus peccata nostra, quæ fortasse causa fuerunt, ut Deus a nobis offensus tolleret bonos et dilectos nostros. Sæpissime enim contigit ut per mortem nobis tollantur parentes, liberi, benefactores alique dilecti et utiles, in pœnam peccatorum nostrorum. Merito

ergo dolemus, quia telum morti præbuimus, quo occideret charos nostros. Quod si peccata nostra non causarunt mortem illam causavit tamen peccatum primorum saltem parentum per quod mors intravit in mundum. Hac de causa volunt aliqui infremuisse Christum in suscitacione Lazari, adversus peccatum videlicet quod Lazarum prostraverat.

Quinto, ut componamus nos ad pœnitentiam vitæque emendationem, dum induimus vestem pullam, habitum lugentium. Quis enim non sibi metuat, cum e domo, familia aut societate sua videt aliquem abripi? Quomodo non cogitat, cras sibi evenire posse, quod hodie amico contigit? Quomodo non incipit abstrahere se a nugis sæculi et vanitatibus mundi? Quomodo non mors amici præ oculis ejus multo tempore observabitur, scribit Plinius, l. VIII. c. L. *Si quis villo menti apprehensam capram ex grege unam trahat, cæteræ stupentes spectant.* Quid mirum, si cum mors aliquem e domo vel familia nostra correptum e vita abstrahit, omnes nos stupemus et tractum simul ac trahentem attoniti spectemus? Itaque jure merito, qui in luctu sunt, abstinent a lusu, choreis, nuptiis, conviviis, aliisque sæculi gaudiis, quia acceperunt significacionem: *Ut fugiant a facie arcus.* Sic etiam aviculæ, cum ex earum numero unam rapit accipiter, dissolvere mox conventum, abrumpere cantum, et abscondere se solent. Sanctus ille patriarcha Jacob, perditio filio Josepho, quem mortuum credebat, induit se sacco, et noluit a filiis consolacionem ullam capere. Dicebat enim: *Descendam ad filium meum lugens in infernum, q. d. nullum admittam solatium amplius, donec videam in limbo filium meum.* Dicat ergo similiter Christianus in luctu positus: *Descendam ad filium vel parentem meum lugens in infernum: jugiter considerabo mortem, et respuam mundi gaudia, donec veniam ad illum, etc.*

II. Dico, mortuos non lugendos. Docent enim et hoc sacræ litteræ, uti supra vidimus. Ratio est primo, quia mors a Deo est: ipse enim vult, ut moriatur homo: placeat igitur homini, id quod placet Deo. Deinde, Deus repetit quod suum est, quis ei contradicet? Qui depositum tibi credidit, si suum aliquando repetat, qua ratione tu obsistes? Quid si tibi Deus depositum hoc non commendasset. Hinc Damasus ad quemdam filio orbatum dixit: *Si non tristatus es, cum nondum filius esset, nec nunc quidem dolere debes cum non amplius est,* Stob. sen. CXXI.

Secundo, quia mori necessarium. Non exemptus fuit Dei Filius, non beatissima ejus Mater. Et universim: *Testamentum est hujus mundi. Morte*

moriatur, ait Ecclesiasticus, c. XIV. Unde illa Thecuitis persuadere volens Davidi, ne contristaretur de morte filii sui Amnon: *Omnes moriamur,* inquit, *et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur,* II. Reg. XIV. Jam si omnibus moriendum, quid refert, num quis hodie aut cras moriatur? Ita coepiscopus quidam S. Augustini ab illo visitatus in ægitudine, audiensque posse se adhuc vivere et Ecclesiæ prodesse, respondet: *Si nunquam (scilicet moriendum) bene, si autem aliquando, cur non modo?* Possidius in vita S. August. c. XXVII. Dicit hoc de morte amici tui.

Tertio, quia mors charorum sæpe utilis est partim illis, partim tibi. Illis quidem si in miseris et calamitatibus vixerunt vel si aliquando depravandi erant, aut depravati peiores futuri. Tibi vero, quia amici sæpe causa sunt ruinæ et damnationis æternæ: *Inimici enim hominis, domestici ejus,* ait Dominus. Noli igitur dolere, amata tibi obsonia e mensa esse sublata, quorum immoderato esu valetudinem lædere poteris.

Quarto, quia tristitia tua inutilis est et quandoque noxia. Hac de causa posuit luctum David, super morte filii sui primogeniti: *Nunc quia mortuus est, quare jejuno?* inquit. *Numquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me,* I. Reg. XI. Audi Chrysost. hom. LXI. in Joan. « Quod si peccator et qui sæpenumero Deum offenderit, moritur, is deplendus est, vel potius minime, cum nihil illi afferat utilitatis, sed ea facienda, quæ ei aliquid conferre possint, ut sint eleemosynæ et oblationes. In hoc lætandum est, quod malitia ejus abscissa est. Quod si justus, rursus lætandum, quo in tuto collocatur, quo liberatus est a futura incertitudine; si juvenis, quod ex medio malorum ereptus est; si senex, quod eo diutius usus, quod maxime desiderabile videbatur, vitæ satietate migravit. » Sic ille.

Quinto, quia mors Christianorum somnus est; et quidem ex parte corporis tantum, e quo suo tempore rursus evigilabunt. Hinc antiqua Christianorum phrasi mortui dicuntur *obdormisse et dormire* ad solatium amicorum. Sic Christus de Lazaro: *Amicus noster dormit;* et recte concludunt discipuli: *Domine, si dormit, salvus erit: sic de puella suscitanda: Non est mortua puella sed dormit;* et apostolus, I. Thess. IV. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus ut non contristemini.* Ergo sicut absque dolore, amici dormientis præsentia caremus: ita non magnopere moveamur, si ad diem usque resurrectionis præsentia ejus differatur. Ad hæc nemo valde dolet, si

audiat amicum in prælio decertantem, equo subter se confosso, in terram esse dejectum, attamen incolumem evasisse. Ita res habet in proposito. Quando propinquus obiit, equus tantum ejus cecidit, corpus videlicet, eques, id est, anima incolumis evasit. Xenophon Socraticus, uti refert D. Hieron. in ep. ad Heliodorum, cum sacrificans filium in bello occubuisse audisset, coronam deposuit: mox tamen ubi intellexit, fortiter dimicantem occidisse, in caput eam reposuit. Ergo si audiamus propinquos nostros pie et christiane obiisse, omnis mœror abstergendus est.

III. Dico, lugendos esse mortuos, sed luctu moderato et christiano. Ita monet Ecclesiast. c. XXII. *Modicum plora super mortuum,* inquit, *quoniam requievit:* et apostolus, I. Thes. IV. *Non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent.* Quare non sunt lugendi primo more et ritu gentilium, qui genas sibi radebant ad sanguinis effusionem, capillos evellebant, vestes lacerabant, in terram cadebant, rogum sanguine servorum aut etiam charorum cruentabant, brachia sua vulnerabant, ut scribit Rosinus, antiq. Rom. l. V. c. XXXIX. Herodotus, Lucianus, et alii. Hoc enim insanum est. Et hæc fecerint illi, qui spem salutis non habebant, et æternum moriebantur: certe Christianis facere non licet. Quare S. Chrysost. hom. IV. in epist. ad Hebr. hunc morem a gentilibus in suos derivatum acriter reprehendit, et pœna excommunicationis mulctandum a se edicit.

Secundo, non more Judæorum. Veteres enim Judæi diutius extendebant luctum, nec voce tantum et lacrymis plangebant, sed gestibus etiam, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, scindendo vestes, etc. Adhibebant etiam tibicines, qui triste carmen modularentur, ut Matth. IX. Fecerint hoc illi, ignoscendum est: quia cœlum adhuc clausum erat, et in limbum descenderunt, quotquot in statu bono mortui sunt. In cujus rei figuram scribit S. Hieron. in ep. ad Fabiolam, de XLII. mans. Aaronem planctum esse: *Jesus Nave* (qui fuit typus Christi) non esse planctum. Rationem addit: *In lege descensus ad inferos: in evangelio ad paradysum transmigratio.* Multo minus audiendus planctus Judæorum hodiernorum, qui ad quæstum et fictas lacrymas addunt vestium scissuram, quam modica in parte a collo cœpta faciunt: quia planctus hic superstitiosus est, Serar. in c. ult. Jos. q. IX.

Tertio, non more crocodili, qui cadaveribus insidiatur et si quod deprehendat, lacrymis perfundit, non sane ex commiseratione, sed

quia novit lacrymas suas valere ad discindenda ossa, quo medullam hauriat, Vincent. hist. nat. l. XVII. c. DCVI. Tales sunt, qui fide lugent, vel ut hæreditate potiantur defuncti: vel ut alios decipiant, quasi serie amarint defunctos. Cujus exemplum recitat M. Aurelius imp. in ep. ad Laviniam de nobili femina Fulvia M. Marcelli uxore, quæ cum maritus ad rogum ferretur, cœpit faciem laniare, crines evellere, vestem lacerare, in terram ruere, ita ut duo senatores accederent, ejusque manum tenerent, ne adeo sibi noceret. Interim tamen antequam mariti corpus ureretur, alteri senatori, qui eam ducebat, manu stipulata promisit matrimonium.

Quarto, non more puerorum, qui inaniter lugent. Præstat enim mortuos juvare oblationibus et eleemosynis, quam luctu inani prosequi. Unde S. Chrysost. ho. LXI. in Jo. ait: « Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Ille moriens cum angelis evolavit, etiamsi nemo exequiis interveniat: perditus autem etsi in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur. Vis honorare mortuum? Fac eleemosynas. Quæ tibi in multis fletibus utilitas? » Sic ille. Exemplum refertur a Thoma Cantiprat. lib. II. apum, c. LIII. de filio defuncto, qui apparuit matri quasi retardatus ad incesu, ob vas aqua plenum, quod in dorso gerebat. Dixit autem matri hanc aquam esse ejus lacrymas, quas pro ipso funderet, sed inani fructu; rectius igitur facturam si lacrymas in sacrificia et eleemosynam commutaret, et pro ipso offerret.

Quinto, non more muliebri. Mulieres enim fere immoderate lugent, et decorum minus observant, nec se consolari norunt. Quando ergo mollis et tenera natura resolvitur in lacrymas, adsit masculus animus, qui eandem corrigat et per fidem erigat ad spem salutis et resurrectionis. « Permittantur pia corda charorum, inquit S. Aug. serm. XXXIV. de verbis apostoli, de suorum mortibus constrictari dolore sanabili, et consolabiles lacrymas fundant, conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, et ad meliora transire. » Docuit nos hoc Dominus, Joan. XI. quando in suscitacione Lazari *infremuit spiritu in semetipso,* hoc est, motum naturæ in lacrymas erumpentis frænavit, et cohibuit spiritu suo ne præter decorum quid ageret vel loqueretur, ut exponunt Chrysostomus, et alii. Quapropter si quando Christiani in suorum obitu metas moderationis excessisse visi sunt, non defuerunt hortatores, qui eos intra cancellos rationis revo-

carent, et illud Salvatoris ad viduam, occine-
rent: *Noli flere*. Pone modum luctui: non ami-
sisti, quem flebilibus threnis deploras, sed
præmisisti ut scribit Jac. Gretserus, de funere
christiano, lib. I.

CONCIO VII.

EMENDATIONEM VITÆ NON DIFFERENDAM USQUE
AD SENECTUTEM.

I. Quia incertum an ad senectam perventurus sis. —
II. Quia incertum an in senecta sis vocandus ad
penitentiam. — III. Quia communiter quales in ju-
ventute tales sumus in senectute. — IV. Quia se-
nectus non est apta penitentia. — V. Quia in se-
necta vitia potius te, quam tu illa deseris. — VI. Quia
sic Deo vilior, diabolo potior, dares vitæ partem:
serviendum Deo tota vita. — VII. Quia iniquus eris
in teipsum.

THEMA.

Adolescens, tibi dico: Surge. Luc. VII.

Tres mortuos a Christo suscitatos legimus in
evangelio; puellam, filiam archisynagogi in
domo adhuc jacentem, Matth. IX. adolescentem
hodiernum, jam efferrī cœptum ad sepulcrum,
Luc. VII. Lazarum in sepulcro jam triduo jacen-
tem, Joan. XI. S. August. ser. XLIV. de verbis
Domini, existimat longe plures mortuos a Do-
mino suscitatos esse: hos vero speciatim com-
memoratos ob doctrinam nostram: tres enim
istos mortuos significare tria genera peccatorum,
et puellam quidem in domo, significare eos,
qui peccatum in corde habent, in facto nondum
habent: adolescentem hodiernum extra portam,
eos qui ad factum progrediuntur: Lazarum
denique in sepulcro, eos quos malæ consuetu-
dinis moles premit. Sed licet etiam paulo aliter
hos mortuos interpretari. Puella in domo jacens
et Christi adventum expectans, designare mihi
videtur eos, qui post peccatum procrastinant
penitentiam, de die in diem, de mense in mensem,
de anno in annum, persuasi a tibicinum et turbæ
tumultuantis illecebris; qui tamen Deo adhuc
dormiunt tantum, et ab eo facile excitari queunt,
modo eos tangat, interno gratiæ motu. Adoles-
cens hodiernus jam efferrī cœptus, eos, qui ad
senectutem usque differunt emendationem suam,
et ob id in graviore sunt periculo, utpote ad se-
pulcrum jam tendentes et elati per pueritiam,
adolescenciam, juventutem et virilem ætatem;
et hi difficiliter suscitantur: tangere debet locu-
lum Deus, sistere portitores et imperare mortuo:
Tibi dico: Surge. Lazarus vero eos, qui in morte
primum, ubi in vitis suis jam sepulti jacent,

penitentiam acere volunt ac proponunt, et hi
omnium difficillime a peccatorum morte susci-
tantur. Lacrymis hic opus est, tollendus est de
corde lapis, fœtor mortui ferendus, orandum
pro eo, et voce magna clamandum: *Lazare veni
foras*. Omnes istas mortes ac moras deprecatur
David, Ps. LXVIII. dicens: *Non me demergat tem-
pestas aquæ, en primum: Neque absorbeat me
profundum, en secundum: Neque urgeat super me
puteus, en tertium.* Diximus alibi de prima et
tertia, nunc de secunda, ne differamus emen-
dationem ad senectutem.

I. Quia incertum est, utrum ad senectutem
perventurus sis, siquidem primo de crastino es
incertus, et experientia teste pauci admodum
senes reperiuntur, comparatione juniorum, quia
scilicet plerique ante senium moriuntur. Prostat
exemplum juvenis in hodierno evangelio, et in
I. Gen. Abelis, qui adolescens omnium primus
et quidem ante patrem mortuus est, licet non
ipse, sed pater ejus mortem invexerit in mun-
dum. Per hoc enim monere voluit Deus juvenes,
ne in adolescentiæ flore sibi blandirentur ac
nimium sibi fiderent; mortem enim velut tyran-
num homines indifferenter prosternere, modo
falce senes, modo arcu juvenes ad instar ma-
lorum puerorum vel furum, qui his temporibus
immaturos fructus æque decerpunt et furantur
ex hortis ac maturos: (nam senes quasi matura
poma ultro decidunt: juvenes velut immatura
vi abripiuntur.) Unde Job, c. IX. ait: *Pertransie-
runt quasi naves poma portantes.* Aptissime vero
comparat vitam hominis navi; etenim navis,
quæ expansis velis per mare fertur, si occurrat
aliis navibus, putat illas celerrimo cursu pelagus
pertransire, se vero immobilem uno loco hære-
re, vel certe non nisi lente progredi: idem nobis
evenit; videmus alios ad mortem velocissime
properare et unum post alterum efferrī ad se-
pulcrum, nos interim stare et longe a morte
abesse putamus, cum tamen velocissimo item
cursu ad eam properemus. Secundo, quia peri-
culum est, ne tibi abbrevientur dies et senectu-
tem non attingas eo ipso, quo ad eam differs
emendationem. Ut enim dives aliquis pater
nollet filio suo prodigo dare pecunias, eo quod
alias datam male et inutiliter, imo turpiter ex-
penderit: sic qui juventutis suæ dies tam male
et perditè transegit, meretur privari longiori vita
quam alias vivere posset. Hominibus imminente
diluvio datum est a Deo tempus penitentia; cen-
tum triginti annorum, Gen. VI. *Quia vero peni-
tentiam agere contempserunt,* inquit S. Hieronymus,
in trad. Hebr. *noluit Deus tempus expectare; indu-
xit diluvium anno centesimo, etc.* Putat enim Hie-

ronymus, uti et Chrysostomus et Hugo, an 500.
ætatis Noe, designasse Deus tempus penitentia;
120. annorum: (ut videtur consequi ex præc.
cap.) quod tamen anno 600. inductum est. Sic
minatur Deus per Joannem, Apoc. III. episcopo
Sardicensi: *Esto vigilans, etc. si non vigilaveris
veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora
veniam ad te.*

II. Quia incertus es an de peccatis te in se-
nectute evocaturus sit Deus, et tu illi vocanti res-
ponurus. Scimus sane Matth. XX. patremfamilias
exiisse in forum diversis horis, prima, tertia,
sexta, nona et undecima ad conducendos cujus-
cumque ætatis homines in vineam suam; sed
tamen nullos increpasse de otio transacto,
præterquam ultimos, qui circa undecimam
horam vocati sunt. Illis enim solis dixit: *Cur hic
statis (Græce stetit) tota die otiosi? Nemo enim
magis meretur increpari et desereri in egestate,
quam qui vitam transegit in otio, juxta id Sa-
pientis, Prov. XX. Propter frigus piger arare noluit:
mendicabit ergo æstate et non dabitur illi.* Et illi
quidem operarii excusare se potuerunt, quod a
nemine conducti essent, quod tamen facere non
possumus nos: timendum ne forte dicere debea-
mus: *Conduxit nos mundus, caro, diabolus,
mammon, etc. qui primo servire debuimus: id
quod potius nos accusabit.*

Ad hæc senes difficiliter parent vocationibus
divinis et rariis. Ut enim qui aliquam civitatem
diu incoluit, difficulter inde discedit, licet ad
meliorem conditionem vocetur: ita et senes ab
eo vivendi genere, cui assueverunt. Patuit in
Loth et uxore ejus, qui moniti ab angelis ut e
Sodomis perituris excederent et salutis suæ con-
sulerent, moras nectebant et putabant eos per
jocum loqui: unde et manibus apprehendi et
educi debuerunt, Gen. XIX. Nimirum detinebat
eos vel amœnitas loci, vel amicorum consortium,
vel suppellex, vel quid simile. Ita ergo senectus
multa habet impedimenta, ne Deo vocanti res-
pondeat: quemadmodum potatores multi in
popinis ac tabernis sedentes, cum evocantur ab
uxoribus, sequi renuunt, quia nimirum vino
sepulti, vel lusui addicti aut cum bonis amici
sunt. « Apud Ægyptias Thebas, Memmonis sta-
tuam olim fuisse aiunt e nigro lapide ad ortum
solis conversam. Hæc imberbem adolescentem
referebat, cujus ambæ manus sedi sic inniteban-
tur ut hominis surgere volentis similitudinem
exprimerent: videbatur enim saxeus ille ado-
lescens orienti soli velle assurgere. Oculorum
autem et totius hominis conformatio hominem
jamjam locuturum representabat. Et sunt, qui
dicant ab hac statua sonum edi solitum, cum

illam sol oriens radiis suis attigisset. » Refert
Jer. Drex. in Trism. ex Pausania, in Atticis, l.
XXXV. c. VII. et aliis, Maiolus, tom. I. canic. ex
Eusebii chronica. Huic adolescenti similes sunt
quam plurimi, qui in blanda vitiorum sede dies
et annos velut clavis affixi sedent. Quoties illis
dicitur: *Adolescens tibi dico: Surge? Surge, inquam,
e cathedra pestilentia? Et videntur interdum
surgere velle ac moliri habitum: sed iterum
victi inertia, sedere pergunt: Numquid adhæret
illis sedes iniquitatis? Videntur etiam velle loqui,
confiteri inquam et detestari peccata: sed heu
quam fracte et quam frigide loquuntur! Nulla
erumpit seria et resoluta vox: Volo me emen-
dare; sed vel faxo, inquam, ut me emendem;
vel: Nollem equidem hoc fecisse, aut etiam:
Vellem emendare nisi hoc vel illud obstaret.*

III. Non leve est argumentum, talem te futu-
rum in senectute, qualis es in juventute. Id enim
testatur Sapiens, Prov. XXII. *Proverbiam est, in-
quit, adolescens juxta viam suam, etiam cum senue-
rit, non recedet ab ea.* Id enim est homini suavis-
simum, quod tota vita consuevit. Plato quondam
adolescentem quod lusisset alea graviter incre-
puit; qui cum dixisset: *Sic objurgas ob rem par-
vam? At non parvum est respondit assuescere,*
Laert. l. III. Quid multus? Testis est experientia,
juvenes quæ assueverint, non dimittere in se-
necta, sed tenere usque ad mortem. Quidam
morti vicinus, ut Lucas Pinellus, lib. I. de altera
vita, c. V. refert, divitis plus æquo addictus ma-
xima cœpit affici anxietate, quos opes suas relin-
quere deberet, et modo in hanc, modo in alte-
ram se partemolvebat et leonis instar nonnun-
quam rugiebat. Cumque M. Robertus Licinus, qui
tunc ei aderat, eum hortaretur ut animæ suæ
provideret cæteris posthabitis confiteretur, com-
municaret, ille totus in suis divitiis: *O quantum,*
inquit, *insumpsi molestiarum ad conquirendas has
divitias, et nunc alii iis perfuruntur!* Robertus
insistebat, ut de anima potius sollicitus esset.
At ille priori sententiæ insistens: *O divitiæ meæ,*
inquit, *quibus vos relinquo? Quis vos posside-
bit? Atque ita citra confessionem miserrime
expiravit.*

Gabriel Inchino in scala cœli refert avarum
quemdam, qui crediderat alteri centum ducatos
intra triennium restituendos, cum ad extrema
devenisset et jam animam ageret, licet ab ini-
micis et confessario admoneretur de negotio
animæ pertractando, nihil aliud respondere soli-
tum, quam: *Centum ducatos intra triennium solven-
dos, et ita decessisse.* O quam verum ergo pro-
verbium: *Adolescens juxta viam, etc.* Quinetiam
certum est, multo duriorum te futurum in senec-